Quelle: https://manuscripta.at/?ID=26083
Copyright: Admont, Benediktinerstift

excubarent per turmas et cuneos. Quod per eodem hic accipitur. Turma proprie .xxx. militum est. et dicitur cuneus. quasi coneus id est multitudo. Excubare vero large hic accipitur. Excubie enim proprie solent dici vigilie noctis. et dispositi sunt tribus per .iiii.or partes tabernaculi. ita tamen remoti. ut maximas in medio plateas haberent. Erat quoque ornatus quasi fori rerum venalium. singulis in ordine constitutis. Opifices artium in stationibus suis erant. ita ut urbi competenter edificate. castra eorum simillima viderentur. Iudas itaque. Isachar. et Zabulon. castra metabantur ad orientem. Ruben. Symeon. et Gad. ad meridiem. Effraim. Beniamin. et Manasses. ad occidentem. Dan. Aser. et Neptalim. ad aquilonem. Inter tabernaculum vero et castra. excubabant levite. in tabernaculis suis. propinquiores tabernaculo quam castris. et excubabant similiter per .iiii.or plagas. Moyses et Aaron cum suis. ad orientem. Reliqui ab his. Caathite. ad meridiem sub custodia Eleazar filii Aaron. Gersonite. ad occidentem. Merarite. ad septentrionem. et erant utrique sub custodia Ythamar.

De commutatione primogenitorum per levitas.

Separavit sibi dominus tribum Levi. pro primogenitis que tunc habebant. et iumenta levitarum pro primogenitis iumentorum. quasi commutationem faciens cum populo. Primogenita enim omnia specialiter tunc erant sua. quia cum occideret primogenita Egypti. pepercit primogenitis eorum. reservans ea sibi. Deinceps tamen propter id ipsum. omnia primogenita eorum sibi sanctificavit in perpetuum. et maxime quia primicie quorumlibet fructuum debentur domino. Pro his ergo primogenitis que tunc habebant. tulit sibi tribum Levi. et iumenta. et postea primogenita illa habuit per levitas. et iumenta eorum. Et ne duodenarius numerus tribuum minueretur. tribum Manasse quam per levitas instituit. Effraim vero pro Ioseph. Ne autem maior videretur numerus levitarum quam primogenitorum. et ita iniqua esset commutatio. ait deus ad Moysen. Numera filios Levi masculos ab uno mense et supra. Et cum numerati essent. inventi sunt .xxii. milia. Nota tamen quod si diligenter attendas in libro Numeri. numerum eorum per familias invenies .xxii. milia et trescentos. Dicit hebreus. quod .ccc. in eis erant primogeniti. et ita iam erant domini. Item ait deus ad Moysen. Numera primogenitos masculos a mense uno et supra. et inventi sunt .xxii. milia .cc. lxxiii. Tulit autem Moyses in precium .cc.lxxiii. qui superant per capita .v. siclos. ad mensuram sanctuarii. et dedit Aaron et filiis suis iuxta verbum domini.

De etate ministrantium in tabernaculo. temque et de differentia ministeriorum.

Ait dominus ad Moysen. Numera levitas a .xxx.o anno. usque ad .l. ut serviant mihi in duobus. in tabernaculo portando. et collocando. et in eo observando. et cum numerati essent inventi sunt .viii. milia quingenti octoginta. Alii tamen dicunt. a .xxv.o anno. quem numerum annorum in ordinatione sacerdotum et nos observamus. Isti deferebant tabernaculum in hunc modum. Quia non licebat ea que erant intra velum nuda videri. primo intrabant sacerdotes et involvebant archam. propiciatorium. et cherubin. prius velo quod ante appendebat. et post pallio iacintino. Similiter aureum candelabrum. altare aureum. et mensam cum utensilibus suis. palliis involvebant. Tunc intrantes Caathite. propriis humeris omnia hec devoluta deferebant. Similiter et altare holocaustorum cum utensilibus suis. ut quibusdam videtur. Gersonite ut breviter dicamus. deponentes tectum